

## ANNOTATA.

(a) In scientiâ demonstrativâ tria considerantur. 1. *Subiectum*, de quô aliquid demonstratur, quod in Metaphysicis est Ens & inferiora Entis, quatenus sunt abstracta à materiâ sensibili re & ratione. 2. *Principia*, per quæ sit Demonstratio (ostensiva sc.) 3. *Affectiones*, quæ de subiecto demonstrantur. Sic v. gr. in Parte speciali talis demonstratio conficitur: *Q. est immutabile, est æternum; DEUS est immutabilis. E. est æternus.* Hic subiectum est DEUS, de quô demonstratur æternitas: Ipsa affectio autem est Æternitas, quæ demonstratur: Principium verò est immutabilitas, per quam demonstratur Æternitas.

(b) Thomas & multi, qui ipsum sequuntur, per ENS, prout veritatem propositionum significat, intelligunt id omne, de quô propositio affirmativa vera potest formari e. gr. quia de cæcitate potest formari propositio affirmativa vera, ut *cæcitas est privatio visus*, ideò cæcitas juxta hos Autores est Ens, quæ tamen non est Ens, sed *Entis privatio*. Verum hi Autores, dum sententiam suam ex Aristotele desumunt, mentem ejus non adsequuntur. Aristoteles enim illud vocat ENS, quod est verum; hi Autores autem illud putant vocari Ens, de quô verum dici vel propositio affirmativa vera formari potest. Unde rectius dicitur, quod Ens pro veritate sumtum significet ipsam propositionis *veritatem*, vel *veram propositionem*, non verò id, de quô propositio vera formari potest.

(c) Ens nominaliter dicitur complecti tum ea, quæ actu existunt, tum quæ nondum sunt, possunt tamen esse, sicut v. g. homo, qui post aliquot annos nasci debet, dicitur Ens nominaliter tale, quia nondum est, potest tamen esse. Verum minus rectè docent, dum illud, quod nondum est, seu planè non est, vocant Ens; nam sicut id, quod non est, non est homo, nec planta, nec animal &c. ita quoque non potest esse Ens; nam Ens est reale quid & positivum, quod existit. At verò, quomodo illud, quod nondum est, potest esse reale seu positivum quid seu existens; Manifesta enim est contradictio, id quod nondum est, si existit, esse reale quid, seu existere. Huc accedit locus Aristotelis l. 9. Met. 7. ubi ait: *Ea, quæ actu non sunt, sed tantum esse possunt, non sunt entia absolute, sed saltem in potentiâ* h. e. aliquando possunt esse entia, v. gr. homo qui nasci debet post aliquot annos, absolute loquendo non est Ens, sed nihil, quia non existit. Ex his ultrò sequitur hanc distinctionem Entis in Nominale & Participiale nullam esse, non enim datur Ens, *quod non sit participiale, quod non sit existens*. Quia igitur alterum membrum nempe Ens Nominale complectitur partim ea, quæ actu existunt, partim quæ nondum existunt, sed possunt esse, ideò membrum istud, quatenus complectitur ea, quæ existunt, pertinet ad *Ens participiale*, nec divisionis membrum constituit; quat. verò sub se continet ea, quæ non sunt, possunt tamen esse, eatenus ad ENS non pertinent, quia eatenus non continet Entia.

(d) Ens rationis dicitur ab eò, quia suum esse habet tantum in ratione seu intellectu. Triplici autem modò aliquid in intellectu seu ratione esse poterit (a) *Subjektivè*, ut accidens in subiecto, quomodo scientiæ & habitus intellectuales in intellectu sunt. Hic modus non constituit Ens rationis, cum nihil

possit esse in intellectu, nisi sit Ens reale. (b) *Effectivè*, seu ut effectus in suâ causâ v. gr. Domus aut lectus dicitur esse in intellectu artificis, per quem extruitur, *sed valdè improprie*. Act. 17. dicimur in DEO esse, moveri & vivere. Sumus in DEO tanquam in causâ efficiente, tanquam in causâ conservante, DEUS conservat nos, quatenus influxum præstat in nos, ex parte DEI est realis influxus: In DEO movemur, tanquam in causâ efficiente, quatenus DEUS concurret ad omnes vitales actiones nostras, ad motus, &c. (c) *Objectivè*, quâ ratione illud in intellectu est, quod est objectum intellectus. Est autem aliquid actu objectum intellectus formaliter per hoc, quod ab intellectu, cognoscitur. Sic DEUS est objectivè in intellectu, quando ab intellectu cognoscitur. Dupliciter autem aliquid potest esse in intellectu objectivè. 1. Ut citrà hoc, quod cognoscitur, etiam habeat esse in se, v. gr. DEUS, cælum, homo, planta sunt quidem objectivè in intellectu, quando ab intellectu cognoscuntur, vel præter hoc etiam sunt in rerum naturâ, & sic aliud esse habent. 2. Ut sit in intellectu objectivè tantum, hoc est, ut citrà hoc, quod ab intellectu cognoscitur, non sit, vel nullum esse reale habeat, ut *DEUS corporeus, homo lapideus, quantitas indivisibilis*, huc alii referunt *sacrificium incruentum*. Ad hoc igitur, ut aliquid sit Ens rationis requiritur, ut hoc posteriori modò tantum sit in intellectu.

§. 1. Ex his jam dispalescit, quid sentiendum sit de eò, quando queritur, *An Privationes sint Entia rationis?* Resp. In Privatione duo sunt consideranda, (1.) Quod Privatio est carentia seu absentia formæ in subiecto, & sic privatio formaliter importat negationem seu remotionem Entis nempe formæ, & quatenus h. m. privatio præcisè consideratur, non est Ens rationis. *Ratio est*, quia ad Ens rationis requiritur, ut concipiatur à nobis per modum entis realis: neque etiam privatio h. m. sumta est Ens reale, quia ens reale est positivum quid. Privatio autem positivo potius opponitur. Dicendum igitur, quod sit NON ENS, quia nihil aliud est, quam Entis negatio. *Obiectis*: Citrà mentis operationem, Privatio competit rei. E. est Ens reale. Antecedens probatur, quia nemine cogitante & citrà mentis operationem cæcitas nempe privatio competit homini cæco. Resp. Ad Ens reale requiritur, ut nemine cogitante sit in rerum naturâ tanquam positivum quid, quod de Privatione dici non potest, quando igitur Privatio dicitur convenire rei citrà mentis operationem, id non fit quasi aliquid ponat in subiecto, sed quia tollit aliquid nemine cogitante. e. gr. nemine cogitante homini convenit cæcitas, non quod in homine aliquid ponat, verum quia in eò tollit visum. 2. Privatio concipi potest per modum entis positivi, ut quando cæcitatem concipio, quod sit positivum quid in oculò vel homine existens, h. m. Privatio est Ens rationis, quia Privatio tantum ab intellectu concipitur ut Ens positivum, ut in re ipsâ nec sit, nec esse possit positivum quid.

§. 2. Huc pertinet quoque, quando disceptatur, *an DEUS etiam facere possit Entia rationis?* Sunt quidam superstitiosi, qui putant illud imperfectionem notare in DEO, quia *entia rationis* fiant per *fictionem*, fictiq